



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis
Prædicatorum**

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Epistola Auctoris de subiecto, ac diuisione totius operis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589



EPISTOLA IN LIBRVM
VOCATVM DIRECTORIVM
IN QVISITORVM.

COMPILEATVM PER FRATREM NICOLAVM
Eymerici, ordinis Fratrum Prædicatorum, Sacrae Theo-
logiæ Magistrum, Capellanus Domini
nostrí Papæ,

*Ac in terris Domini Regis Aragoniaæ Inquisitorem
hereticæ prauitatis.*



NRATER Nicolaus Eymerici Ordinis Fratrum Prædicatorum Sa-
crae Theologiæ Magister, indignus Sanctissimi domini nostri Pa-
pæ Capellanus, ac Inquisitor hæreticæ prauitatis in omnibus Re-
gnis & terris Serenissimi Principis Domini Regis Aragonum dñio
ni subiectis, a sancta Sede Apostolica specialiter delegatus, Vene-
rabili bus patribus, fratribus eiusdem ordinis in Christi visceribus
prædictis, vniuersis & singulis Commissarijs, vicarijsque nostris
in terris & regnis prafatis ad peragenda sanctæ fidei negotia destinatis.
Salutem, & prauitatis hæreticæ labem feruenti spiritu extirpare.

NE pia sanctæ Inquisitionis negotia cœtu fidelium quamplurimum necessa-
ria ad damnatam extirpandam detestabilem hæreticam prauitatem, atque
ad approbaram complantandam irrefragabilem catholicam veritatem per
nos Inquisitorem vestris paternitatibus venerandis commissa, auctoritate
Apostolica præfata exequenda, propter [†] summorum Pontificum, canonum, catholico-
rum Imperatorum, legum, utrorumque extrauagantium, constitutionum istorum &
illorum apparatus, & glossarum, Apostolicarum litterarum, cœterorum dominio-
rum tam spiritualium, quam temporalium priuilegiorum & indultorum, ac Sedis A-
postolicae legatorum, ipsiusque Ecclesiæ prælatorum prouincialium ad Inquisitores
labis eiusdem consiliorum, cœterorumque omnium librorum aliorum necessariorum,
hinc inde disperforum pro exequendo præfato fidei negotio, penuriam & defectum,
contingat aliquatenus impediri, seu potius retardari: aut (quod absit) uestras paterni-
tates in Inquisitionibus faciendis, processibus conficiendis, pœnitentijs imponendis,
sententijs proferendis, cœterisque dependentibus, contingentibus emergentibus ex
eisdem, in prosecutione tanti & tam memorati ardui fidei negotij oberrare. Et ne
vberem, florentemque Ecclesiam, vineam inquam Domini Sabaoth, quam summi patris
dextera complantauit, quam eiusdem patris filius proprij ac viuifici vnda crux ubi
ruius irrigauit; quam ipse almus spiritus paraclitus miris ineffabilibusque donis intimius

[†] Institutum
auctoris in
hoc opere co-
ficiendo.

A secundauit

Tocundauit; quam tota ipsa incomprehensibilis atque inattingibilis Trinitas beata grandissimis varijsq; priuilegijs sanctius dorauit pariter & ditauit: Aper de sylua, qui est & dicitur hæreticus quilibet, absorbeat & depascat, fructus fidei uberes deuastando, ac lacerantes hæretum vepres palmitibus inferendo: Serpensque tortuosus, nostri improbus humani generis inimicus effans vitus; qui est Satanus & Diabolus; ciudem uincæ Dominicæ palmites inficiat, in fructus virus prauitatis hæreticæ immittendo: Ne etiam in agro ipso Dominico, qui est populus catholicus, ad quem excolendum pariter & serendum descendit de sumorum polorum aree Dei patris vnigenitus, atque primogenitus: seminauit misericordia sanctisq; prædicationibus: discurrevit per villa & castella, docens non sine magnis fatigationibus: elegit Apostolos, viros utique operarios industrios, ac conduxit ditans illos æternis retributionibus, expectans ipse Dei filius de agro isto, magno illo die iudicij extremo, vberes manipulos colligere, & per manus sanctorum angelorum recordare in cælesti horreo sancto suo: Sapsonis vulpeculae intricate; quæ sunt personæ labi hæretica depravatæ; facies habentes diuersas, sed caudas ignitas adiunictæ colligatas, quia in vanitate flaminis superbiæ conuenient in id ipsum, legetem Dominicam iam albam ad messem, splendoribus fidei reluentem, morfu amarissimo demoliantur, ac discursu subtilissimo per uagentur, impetuque validissimo accedant, pariter & accendant, dissipent & deuastent, sinceritatè sanctæ fidei catholicæ subtiliter & damnabiliter subuertendo: Ea propter, & ut Inquisitionis negotium cōtra hæreticam prauitatem ad Dei gloriam, & augmentum fidei orthodoxæ, in nostris temporib; vestrisque manibus de bono in melius prosperetur: Præfens opus nostrum nouiter concordatum, utiliter compaginatum ex præfatis canonibus, legibus, constitutionibus, extrauagantibus, apparatus, determinationibus, condemnationibus, prohibitionibus, approbationibus, confirmationibus, cōsulationibus, r̄missionib; litteris Apostolicis, priuilegijs, indultis, consilijs, hæreticorum sc̄ctis, varijsq; formulis literarum, commissionum, citationum, excommunicationum, absolutionum, cautionum, purgationum, condemnationum, sententiationum, relaxationum, & alijs Inquisitionis officio necessarijs, hinc inde collectis: ut altera Ruth de spicis hac illac dispersis post tergū mententium, manipulum constringentes compilauimus, edidimus, & confluimus: vestrisq; paternitatibus venerandis, ex causis antefatis, tenore nostrarum literarum præsentium, deftinamus. Quæ quidem compilatio præfens in Partes tres (ut noueritis) est distincta. Nam in prima agitur de fide catholica, ut plantetur. In secunda de prauitate hæretica, ut uitetur. In tertia de officijs practica, ut seruetur. Vos igitur, Patres mei charissimi, per omnia merito uenerandi, ad exequenda fidei pia negotia auctoritate Apostolica destinati: obsecramus per uiscera misericordiæ Dei nostri, quatenus præsentem compilationem devote suscipiatis, ad illam mentis oculo conuertatis, in illa sedulius studeatis, illam uestris cordibus imprimatis, de illa & eius ueritate firmius cōfidatis; ab illa & eius sinceritate nul latenus discedatis: per illam uos in judicialibus uestris actib; dirigatis: illam & theologis & iuris uocatis per uos ad consilia, exponatis: Et secundum illam, & in ea contenta ad imponendas penitentias, ad inferendas, & proferendas sententias procedatis, taliter in huius modi uos habentes, quod cedat ad Dei gloriam, & ad Diaboli ignominiam: ad fidei Catholicæ exaltationem, & ad prauitatis hæreticæ depressionem: ad Catholicorum honorem; & hæreticorum ruborem: ad nostri ac uestri augmentum meriti, & ad laudem & exaltationem sanctissimi nominis Domini nostri Iesu Christi: cui est & sit laus, honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Operis dini-
sio.

PRIMA